

*Natoliae* in arvis ad Dardanellos; etiam *Alexandriæ*. Græc. Γαλαζίδαι.  
Hujus plantæ & *Chondrillæ* flores in herbario voraciter destruunt  
Tineæ.

76. L. DECORTICATA; *foliis lanceolatis*; *dentato-sinuatis*, *glabris*, *appendice utrinque linearie*.

DESCR. *Caulis* cubitalis, erectus, teres, ramosus, glaber, albus; per intervalla longitudinalia appendices foliorum decurrentes elatæ, virides, corticem mentientes; adeo ut *caulis* inter eas faciem decorticati habeat. *Folia* imma pinnata, superiora lanceolata; omnia sinuato-dentata, sessilia, glabra. *Pedunculi* spicæ longæ; *caulis* & *ramorum* terminales. *Flores* sessiles, bracteola lanceolata, decurrente eodem modo ac *folia*. *Calyx* pollicaris, cylindricus, imbricatus. *Flosculi* 5, flavi. *Semina* brunea; pappo stipitato.

In Insula *Imros* & circa *Constantinop.*

77. LEONTODON MEGALORHIZON; *scapo piloso*; *calycis laciniis ad apicem gibbis*; *foliis dentato-pinnatifidis*, *glabris*.

DESCR. *Scapus* pilosus pilis longis, raris, flaccidis. *Calyx* eretto-patulus. *Foliola* versus apicem subtus gibba. *Infima* foliola laxa, eretto-patula, margine albescens, membranacea. *Flosculi* radii subtus violacei, margine lutei. *Radix* crassitie digitæ, longa, fusiformis, lacte amarissima.

Ad *Dardanellos*.

78. HIERACIUM HISPIDUM; *foliis ablongo-lanceolatis*, *subdentatis*.

DESCR. *Caulis* erectus, foliosus, hispidus. *Folia* oblongo-lanceolata, subtus hispida, subdentata. *Folia* caulina summa integra. *Pedunculi* axillares, squamosi. *Flores* ad apicem *caulis* subpaniculati, flavi.

Ad *Constantinop.* in sylvis rarius.

79. ECHINOPS SPHÆROCEPHALUS; *foliis pinnatis*, *spinosis*.

*Calyx* uniflorus. *Capitula* cærulea, magna, tripollicaria. *Calyculi* cincti lana longa, densa.

*Tenedos*. In *Natolia* vidi similem huic, sed *capitulo uno*.

80. E. STRIGOSUS; *caule multifloro*; *foliis supra laniferis*; *capitulis cæruleis*, *parvis*, *vix pollicaribus*.

*Tenedos*. Græc. Κάθαιρος ὄγγαρο.